

Q. 239. 15

X 2207792

Za
5514

PROGRAMMA

PUBLICE PRO-

POSITVM IN FVNERE MAGNIF.

ET AMPLISS. VIRI, PIETATE,

virtute, doctrina, sapientia, & rerum vsu præ-
stantiss. Dn. Doct.

MATTHIÆ COLERI,

IVRISCONSULTI EMINENTISS.

AC CELEBERR. PRIMARI LL. IN

Academia IENENSI Professoris & Collegij Iuridici in eadem

Ordinarij dignissimi &c. in vera confessione & inuocatione

Filij DEI pie defuncti A. D. X. KL. Maias Anno

salutis humanæ CIO. IO. XIIC.

ET

EPICEDIA IN PLACIDAM E-

iusdem ex hac vita in caelestem patriam emigrantis

decessum

Scripta

Ab amicis, clientibus & discipulis,

Obscruantia & gratæ memorie causa.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



I

S

8

7.

IENAE

Excudebat Tobias Steinman.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Publico

MATTHEI COLLEGI

TRISSCONSULTI RMINITIS
A COLLEGIIS
A. D. 1711

PLACIDAM

Ab amicis, clarissimis & dilectissimis
Sponsis & amicis



7. 8.

LENAE
Eruditorum Tobias Steinmann

o
t
o
n
c
c
r
&
a
N
n
il
p
&
ut
et



RECTOR ACADEMIAE IENENSIS.



NOAM LEGIMVS ISRA-
elitici populi Regem, cum
ad Prophetam ELISAEVM
ex hac vita in caelestem iam
emigraturum visendi causa
venisset, hanc miserabilem
& lamentabilem vocem edis-
disse: *Pater mi, Pater mi,
currus Israël, & Auriga eius.* Eadem ferè lamens-
tatione & questu nos quoq; uti possumus & jure
debemus, posteaquam voluntate Diuini Numis-
nis hujus Scholæ, imò ditionis uniuersæ, ne dis-
cam totius propè Germaniæ Elisaeum, Magnific-
cum & amplissimum virum MATTHIAM COLE-
RV M V. I. Doctorem, primarium Professore, &
& Collegii Iuridici in Salana nostra Ordinarium,
alienissimo certè tempore, proh dolor, amisimus.
Nam & sollicitudine atq; affectu plus quàm pater-
no prosequutus est Rempub., & sapientia, consi-
lio, auctoritate atq; doctrina res maiores gessit,
quàm vel potentissimus rex quispiam curribus
& equitatu numerosissimo instructus gerere po-
tuisset. Scholæ quidem huius dignitatem & salus-
tem summo studio & solus & cum alijs labentem
A 2 exceptit,

exceptit, corruiere non sivit, fulsit, consilio, re,
fide, specie deniq; ipsa in hunc vsq; diem sustinuit.
Ea sanè in ipso fuit ingenii & doctrinæ præstantia,
ut benè de ea mereri facilè posset: ea in suscipien-
dis laboribus promptitudo atq; alacritas, ut maxi-
mè vellet. Nam cum versatus ab initio in studiis
elegantioris doctrinæ, ut ad grauiiores scientias
viam sibi facilemq; aditum muniret, deinceps ad
intimam propè Philosophiam penetrasset, & de-
curso ipsius quasi spacio ea Medicinæ artis funda-
menta jecisset, ut aliquot Aeginetæ libros latini
carminis paraphrasi reddiderit: Quemadmodū sanè,
ut hoc quoq; obiter adjiciamus, Carmina ipsius
quædam VVitebergæ publico nomine proposita,
ac deinde in tomos programmatum VViteber-
gensium relata hodieq; leguntur: Postea tamen
revocatus à studio Medico est suasu potissimum
atq; impulsu summi viri PHILIPPI MELANCHTHO-
NIS, eruditionis omnis per universam fere
Germaniam Magistri, qui, ut acutissimus & soler-
tissimus ingeniorum æstimator, hujus indole plu-
rimum est delectatus: & quamquam ingeniū eius
ad omnia aptum esse animadverterat, vidit tamen
quasi divinans, quantus quamq; præstans vir fu-
turus esset, si ad Iurisprudentiæ studium sese ap-
plicuisset. Itaq; ille ingressus hoc stadium, statim
ad clarissimos & consultiss. viros sese contulit,
PETRUM LORIOTTVM Gallum, MODESTINVM
Pistoris

PROFESSORIS ac nobilem illum Iuris Saxonici commentatorem ZOBELIVM, & quosdam alios, quos ipse in epistola præfixa operi recens à se in lucem edito recenset: cumq; in tam præstantium viroꝝ rum familiaritatem penitus intrasset, & præterea per se quoq; magna spectaret, ad eaq; rectis studiis contenderet, brevi similis eorum factus est, quos sibi delegerat ad imitandum. Ab eo igitur tempore, quo ab Illustriss. P. P. D. D. Saxoniae &c. in hanc Academiã vocatus patriæ suæ præ aliis inservire voluit (agitur autem jam annus vicesimus nonus) ita in interpretatione Iuris Canonici, cujus enodatio difficilima habetur, est versatus, ut auditoribus quidem suis ad solidam Iuris intelligentiam & ad usum in Praxi iter præiret, sibi verò ad immortalitatẽ famæ viã patefaceret: sui deniq; nominis celebritate Salanam hanc illustriorem redderet. Iam verò etiam Disputationes, de materiis controversis & difficiles persæpe explicatus habentibus veteri Academiæ more publicè instituta, ingenii ipsius vim & præstantiam admirabilem, doctrinæ copiam incredibilem, inimitabilem dextrè de rebus oblati judicandi facultatem, experientiam & rerum usum eximium, memoriam deniq; expromptam, non obscure declararunt. Quanquam quid opus est hujusmodi testimonijs? ipsemet amplissimo monumento memoriam nominis sui æternitati consecravit: præsertim si non

A 3 eorum

eorum solum nitamur existimationibus & iudiciis,
qui nunc sunt hominum, sed & posterorum, quo-
rum iudicium proculdubio verius futurum est,
admiratione sui, obtreptione, invidia & male-
volentia liberatum. Quid? summæ semper curæ
ipsi salutem literariæ Reip. fuisse vel ex eo intelli-
gi potest, quòd, quotiescunq; constituendæ essent
provinciæ vacantes in hac Academia, tota mente
& studio omni in hanc curam cogitationemq; in-
cubuit, ut idoneis illæ hominibus demandaren-
tur, qui cum adolescentiæ fructu & scholæ digni-
tate eas sustinerent. Dici etiam non potest, quanto
studio ille concordiam inter docentes in hac scho-
la foverit, auxerit, confirmarit: discordiarum
omnium flammæ, quod quidem in ipso fuit, tam-
quam periculosissimum incendium exstinxerit:
quantis item beneficiis privatim collegas suos
omnes ac singulos sibi devinxerit. Illud prætere-
undum silentio non est, quòd in consultationibus,
præter prudentiam quandam singularem ac propè
divinam, eam etiam præ se tulit animi & orationis
libertatem, quæ aliena esset ab omni *προσωποληψία*,
in vnam æquitatis normam intenta, & ad utilita-
tem publicam omnia referens. Quemadmodum
& in privato convictu nota fuit omnibus eius in-
tegritas, non infuscata malevolentia, non assueta
mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita
artificio simulationis. Disciplinam quoq; vt tu-
eretur

eretur enixè operam dedit, cum aliàs semper, tum
vel maxime quoties Magistratum gereret. Gravis
tate verò morum & vitæ antea actæ innocentia eam
sibi auctoritatem reperit, ut cum paucis exemplum
esse posset eius viri, cuius descriptio apud Maro-
nem est, gravis nimirum pietate & meritis: quo
conspicuo sileat multitudo concitata & furens,
quicquid regat dictis animos, & pectora mulceat.

Iam verò reliquas partes muneris sui in Dicasterio & iudicio Provinciali, quas alius vix cogitando sustineret, ipse agendo ita explevit, ut Reip. & iusticiæ summè defendendæ curam apud se excubare clarè ostenderet. Dicasterij quidem laudes ita exulit atque amplificavit, ut facilè officeret luminibus aliorum. Vbiq; autem constanti & immoto studio iusticiæ & æquitatis regulam spectavit, ut ne latum quidem unguem ab ea deflecteret, talisq; omnino idem apud nos esset, qualis Aristides Athenis, Romæ Fabricius. Quid multa? Fuit ipsius domus Oraculum non vnius alicuius regionis, sed plurimum: cuius janua atque vestibulum ut de Q. Scævola apud Ciceronem Crassus ait, in infirmissima valetudine & affecta jam ætate (ita enim semper curabat Remp., ut valetudinis suæ cura non admodum afficeretur) maxima semper frequentia summorum hominum, civitatum etiam remotissimarum, Electorum deniq; ac Principum splendore est celebratum: Quo nomine
eum

zum Ulpiano, Papiniano, & alijs Jurisconsulto-
rum Coryphæis, si non anteferri, saltem conferri
rectè posse arbitramur. Ad extremum quis ne-
scit, summos atq; Illustrissimos Principes, & in
his Electorem Saxonix AVGVSTVM, laudatissimæ
mæ memoriæ &c. in explicando Iure, in deciden-
dis appellationum causis, in suscipiendis delibe-
rationibus de rebus grauissimis, et in legationibus
ad Principes, ad Imperij ordines, ad Imperato-
rem deniq; ipsum obeundis operam ipsius certatim
expetiisse?

Huius igitur tanti viri, qui verè fuit commu-
ne bonum, præsidio orbati, gravem habemus lu-
gendi causam: & quamquam aliqui fortasse inter
nos quoq; reperiuntur ita feri & ferrei, ut non
incommodè aduersus eos usurpari possit illud
Euripidis:

Οι Βάρβαροι ἢ μήτε τὰς Φίλους Φίλους

Ἠγαῖοι, μήτε τὰς καλῶς τεθνηκότας.

Θαυμάζει: Tamen in eosdem non minus aptè etis-
am illud quadrabit, quod Tecmessa apud Sopho-
elem ait:

Rideant illi sanè, & alienis gaudeant

Malis: fortè et si vitium desiderârunt minus,

Mortuum lugebunt in necessitate pugna.

Nam homines stulti bonum in manibus

Cum habent, non sentiunt, priusquam amiserint.

Nos

Nos, quamquam bene cum ipso actum esse
(Pietatem enim eius sanctitatemque tum in omni
vita, tum in Epigrammatis ipsius sacris, quæ in
tanta occupationum varietate & mole quotidie fe-
rè conscribere solitus est, quasi lumen quoddam
eluxisse omnes scimus) adeoque ipsum à malis præ-
sentibus & imminentibus subductum ex hac vita
in D E I & beatorum Sanctimoniam demigrasse,
omnino persuasum nobis habemus, præsertim
cùm in constanti confessione, fiducia firma, & ar-
denti invocatione Filii D E I, mortis ac vitæ Do-
mini, ad extremum usque halitum perseverarit: nos
bis tamen eo amisso ingens damnum datum esse
seriò agnoscimus, & toto pectore dolemus. Pre-
camur etiam misericordem D E U M, Patrem libera-
toris nostri Christi Iesu, ut veniam det peccatis
nostris, quibus indignationem ipsius adversus nos
concitavimus, & avertat à nostris cervicibus ma-
la impendentia, quæ tantorum virorum ex hac
vita decessus portendit. Denique hortamur uni-
versos, qui Iurisdictionem nostram agnoscunt,
ut hodie hora II. pomerid. ante ædes piè defuncti
viri frequentes conveniant, & modestè atque offi-
ciosè nobiscum funus, dum in templum ad sepul-
turam deducetur, comitentur: hac ipsa in re pie-
tatem suam erga D E U M ac serium resipiscendi stu-
dium; erga Collegam verò & Præceptorem optis

B

me me

mè meritum, imo totius huius ditionis, & vicinarum regionum politicum ELISAEVM debis tam observantiam & dolorem ex ipsius desiderio conceptum declarantes. PP. Ienæ a. d. VII. KL. Maias : Anno à C. N. supra seſquimilleſimum ſeptimo & octogefimo.



EXEQUE

EXEQVIAE PIIS
MANIBVS

MAGNIFICI ET
AMPLISSIMI VIRI
DOMINI D. MATTHIAE COLE-
RI IURISCONSULTI CELEBR-
rimi, publici in Academia IENENSI Professoris & Iu-
ridicae Facultatis in ea Ordinarij Dignissimi, placide &
pie defuncti 22. Aprilis Anno 1587. Amici Col-
legae & compatriis sui cariss. &
colendi,

à

BALTASARE SARTORIO
S. Theologiae D. & Professore Acade-
miae eiusdem, C.



B 2 Mors



Ors homines licet ex aequo domine-
tur in omnes,

Quod tamen est melius, tollit eò
citius.

Artes ingenua fecerunt Nomina primum,

MATTHIA excellens, magna, COLERE
tibi.

Post facilis, pariter tua Musa, polita PHI-
LIPPO

Quam propter multum, Sancto, adamatus eras:
Nobile sed Legum studium, atq; Scientia Iuris

In sublime tuum sustulit ampla caput:

Hactenus PRINCIPIBVS gratus, Populisq;
Virisq;

Doctis, Indoctis suspiciendus eras:

Jurisconsultos inter tibi fixit Et illa

Sedem, Praclaros, perpetuumq; locum:

Sic DECUS, haud vulgare Scholae: sic GLORIA
nostra:

Nam Collega gravis, Vir bonus atq; pius.

Vita peracta tibi est testis: sed clausula vitae,

Quae tristis nobis, optima testis erit.

Prima erat egroti tua, CHRISTE, Ecclesia, cura:

Saxonici HEROES, altera, vosq; DVCES.

Tertia

Tertia tu miserè iactata, *AC ADEMI A*, nostra,
Tandem dilecta, quarta *SALVS* anima.
Hanc salvam ut petijsti: ita cætera salva petebas,
Est tibi facta salus: sint modò salva alia.
Sic mortalis Homo, immortalis es, atq; manebis,
Æternum vires, letus ovansq; *DEO*.
His volui tua, *Compatri*, in lecto decorare,
Quæ mihi non licuit, *Funera summa*, sequi.
Annua fluxerunt *Lustrorum Tempora septem*,
Ut celebris iunxit me *WITEBERGA* tibi.
Dulcis amicitia nunc hoc desiderat usus
Supremum dicam, quo tibi care, *VALE*.
Parce tuo, pie *CHRISTE Gregi: DV CIBV SQ;*
salutem
Da nostris: iusta *ES* suffice *Fulcra SC HOLA*.



B 3

ALIVD.

A L I V D.



*Humias COLERE tuas, animaq; se-
pulchrum*

*Materno recipit frigida ter-
ra sinu.*

Spiritus aethereas hoc fasce leuatus ad arces

Emicat, & placidum sistitur ante Deum.

Fama superstes erit, totoq; loquetur in orbe

Ingenij laudes officiosa tui.

Quod cadis in cineres, patria facit insita labis

Culpa, premit tacito quam cita poena gradu.

Quod fidei nitidis sublatus ad aethera pennis

Liber es, id Christi munere munus habes.

Quod tibi surgit honos, dedit usus, & inclyta sacri

Cognitio Iuris, perpetuusq; labor.

Corporis haud grauis est iactura, quod exeret olim

E tellure nouum, non sine mente, caput.

Anne igitur decorare licet tua funera fletu?

Leticiam pietas, tristitiamq; probat.

Leticiam: patria quod sede receptus olympi

Alloquio fruere colloquioq; Dei.

Tristitiam: quod mæsta tuo Respublica fato,

Et Salana parem vix habitura tremit.

Aurea

*Aurea pax, & amica Themis mœrentia tundunt
Pectora, rorantes dilaniantq; genas.
Aonides voluere tuo breue carmen honori
Pangere, sed tremula mox cecidère manus.
Nos igitur miseri, sed te COLERE beatum,
Sola Dei fecit gratia, Sola fides.*

Wolfgangus Heider M.

A L I V D.



N luctus iterum solutus ager
Depromo miseris modos loquelis:
Cor friget: trepidant manus: sedens
Singultus ciet ore crebriores: (vox
Uberrim lacrymae lauant ocellos,
Stillatimq; fluunt per ora fusa.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Quam Fatum dubia ferit procella,
Quicquid res hominum beatiorum
Commendans magis efficit secundas:
Id me præ reliquis docent COLERI
O lugenda bonis, iniqua fata,
O deflenda scholis, seuera fata.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.

Iam

Jam rebar tacito coisse vulnus
Influctum tibi **VITEBERGA** morte
Mystarum **THEMIDOS** sacra potentum:
Influctum tibi **JENA**, proh, **GRVNERI**
ARNVRIQVE obitu nimis dolendo:
Crudescit magis & magis valescit.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Nimirum hac miseris suprema rebus
Sors deerat, simul ut **COLERE** mortis
Confixus stimulis fera malignis
Tandem concideres humo tegendus:
Nec virtus tua te, nec ardor equi,
Immunem dedit huius esse fati.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Te Rectore volans fretum per altum
Puppis nostra nihil timebat undas:
Hæ montis licet instar æstuosis
In nos fluctibus effera tumerent.
Hanc nunc in medijs aquæ procellis
In Syrtes agitant subinde Cauri.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Nil letum sine te, nihil benignum
Naturæ facies habet venusta.
En aër tepet omnis, & volucres

Per-

Permulcent sonitu vias suavi:
Ingratus sine te tepor sed omnis:
Insuavis sine te sonus sed omnis:
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Te, Caelum indicium sui doloris
Edebat, moriente, luctuosum.
Ut tunc continuo tonabat imbri,
Humectans lacrymis solum profusis?
Ut pullo veluti tegens amictu
Condebat faciem iubar serenam?
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Hircanas referat vel ille Tigres,
Et pectus gerat ille belluinum,
Qui non fata viri gemiscat huius:
In quo spes iuvenum, senumq; virtus,
Et nostrae patria decus, salusq;
Inclinata manebat una solo.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Flete o Salaides virum sorores
Et questus geminate tristiores.
Namq; hoc, vester honos labat, labante:
Hoc, vestrum decus occidit, cadente:
Hoc, vestri sepelitur & sepulto
Flos omnis, viridansq; germen horti.

C

Heu

Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Flete urbes simul hunc virum propinqua:

Flete urbes simul hunc virum remota:

Et luctus iterate iustiores.

Oraculum cadit, hoc cadente, vestrum:

Hoc, responsa silent, silente, iuris,

Et tentat vacuum reus tribunal.

Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela,

Et tu sancta **THEMIS** ciere fletus

Haud cessa, gemebunda, largiores:

Lugubres etiam resume amictus,

Obnubens faciem corusca peplo.

Eheu iusticiae cadit Sacerdos,

Et iuris moritur potens patronus.

Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.

Et tandem **PIETAS**, Dei ministra,

Virtutum decus omnium & magistra,

In luctus quoque tu soluta tristes

Conceptos animo exprime his dolores:

Exemplar pietatis en **COLERVS**

Expressum iacet, inferendus urna.

Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.

Sed nunc ipse modis quibus dolorem

Testatum faciam tibi **COLERE?**

Quas

Quas nunc inferias tuo sepulcro?
Quod munus cineri tuo rependam?
Pro magnis meritis, tuo & favore,
Quo Musas facilis meas levasti.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
Huic primum novus hospes ut Lyceo
Successi, studiis eras patronus
Mecenasq;, animo favente, nostris.
Tu scriptis procerum mihi favorem
Primum concilians, Ducum parabas
In me SAXONIÆ manus benignas.
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
His iam pro meritis perenne mentis
Grata symbolon ut mea supersit,
Pro leto tibi carmen hoc doloris
Ex cordis penetrabilibus profectum
Dono, dedico, concino, rependo,
Et verba ingemino magis magisque:
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.
At nos flebilibus pios querelis
Dum manes oneramus his COLERI,
En molles cita vox ruit per auras:
Quid multis opus est (miser) querelis?
Hoc est parva quies mihi labore:

C 2

Hac

Hac est vita mihi parata morte:
Haud cura, haud dolor, haud stupor, querela.
Caelorum pater & Deus Deorum,
In cuius gremium relatus ipse
Vitam nunc agito beatiorē:
Cui res cura p̄i gregis tueri
Æternos manet & manebit annos,
Vos casus bonus asseret per omnes.
Haud cura, haud dolor, haud stupor, querela.
Non languorem animo, suisve somnum
Inducens oculis pios relinquit.
Is vobis ratis & dabit peritum
Rectorem tumido mari volantis,
In Syrtes agitata ne fathiscat,
Nec vē imbrem accipiat minus salubrem.
Haud cura, haud dolor, haud stupor, querela.
His nostros ubi vox secuta fletus,
Cum plausu remeat leves in auras.
At tu sorte licet fruāre Divūm,
Nec nōmen taciturnitas futura
Ætatis premat invidis tenebris:
Sit nostra tamen hic tenor loquela,
Heu cura, heu dolor, heu stupor, querela.

EPITA

E P I T A P H I V M.

O Mnia morte licet pereant, ego morte perire
Non potui: vitam mors mihi sola dedit.
Ipsa Dei soboles moriens me morte redemit,
Hac vivente mihi vita reperta manet.
Nil moror humanas res: haud mortale, quod opto:
Cui datur in Caelo vita, beatus homo est.
Et pietatis amans, & servantissimus equi
Exegi cursum non sine laude meum.
Vivet in orbe meum decus, immutabile fati:
Dum modo iustitia laus erit ulla pia.
O Fortunatus nimium, nimiumq; beatus,
Fine bono claudi cui bona vita datur.

Stephanus Schelhase Cruceburgensis.

A L I V D.



Ata Vesenbecii, qui consultissimus unus
Iuris erat, flevit Leucoris orba sui:
Qualiter ante diem crudeli funere raptum
Sola solet patrem filia flere suum.
Pulvere turpatos Academia solve capillos,
Saxonia Salam propter aperta Duci;
Et si bina modo fecisti funera fletu,
Excidat ex oculis nunc quoq; gutta tuis.
Ille tui lux alta fori, tua fama COLERVS
Occidit, & secum sustulit omne decus.

C 3

Prô

Prò dolor. ecce Themis fert in-versamq; bilancem,
Et gladium, renuens jus dare cuiq; suum.
Adspice quàm largo lacrumarum flumine vultum
Fœdet, inornatas dilaniata comas.
Crediderim facilis quod sic miseranda vel hosti,
Prodiit in funus Papiniane tuum.
Non minus est confusa Themis moriente COLERO,
Quàm fera cum rapuit Parca Vesenbecium.
At qui Cumæa superaret secula vatis,
Nestoriosq; dies, dignus uterq; fuit;
Doctrina si fata darent par invida tempus,
Virtutiq; suus si remaneret honos.
Scilicet a primo vitæ mortalibus haustu
Atra dies cedit præcipitata necis.
Hec simul atq; venit, mors antestatur, & in jus
Dum rapit, infestas injicit illa manus.
Scilicet hanc statuit nos pœnam solvere IOVA,
Quos aliena reos, quos sua culpa facit.
Quid iuvat ingenuas animum coluisse per artes?
Quid iuvat in studiis tempus inane teri?
Quid pietas prodest? cui virtus profuit umquam?
Mors rapit atra bonos, mors rapit atra malos.
Vivitur ingenio; quamvis sint cetera mortis,
Omnia de toto non tamen urna capit.
Vive pius, moriere pius: cum morte piorum
Commutat vitæ regna beata DEVS.
In te CHRISTE fide nisus jacet ecce COLERVS,
Hunc meliore sui vivere parte liquet.
Nec fugiens seclis obliviscentibus atas
Obruet ingenium perpete nocte viri.
Sed tamen, ô juris decus irreparabile, quamquam
Morte beatus abes; morte dolendus abes.

Nil

Nil vidua referam luctus, gemitusq; marita;
Nil cognatorum, lacrumulasq; domus.
Te vocat orba patrem, studiis te Iena magistrum
Amissum revocat, te revocando gemit.
Qualis oberrat ovis dubia regione viarum,
Quae pastoris eget, nec sua septa videt:
Talis te ductore carens studiosa juventus
Hac nunc septa petit, nunc petit illa pede.
Ab vereor, totum ne corruat illud ovile,
Dum resoluta gravi morte columna jacet.
Hancce Vesenbecius poterat fulcire ruinam,
Casuram poterat sustinuisse scholam.
Atlantem nobis hunc celo gratior Albis
Invidet, in patruī substituitq; locum.
Magne Deus succurre scholae, succurre labanti,
Desit ut in laudes ne via lata tuas.
Interea factus tu morte beatior ipse
Inter celicolas gaudia letus agis;
Securusq; mali, nec spe lactatus inani,
Aeterna celebras laude COLERE Deum,
Arnurum justā, Victorinumq; Grunerum
Collegas, primi participemq; tori.

Iohannes Meurerus Ro-
dolphopolita.



Ha 5514 OK


[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including phrases like "Dum resoluta", "Hancce Vesperetia", and "Memento"]

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side]



M.G.





Q.N. 239.15

X 2207792

Za
5514

PROGRAMMA

PUBLICE PRO-
POSITVM IN FVNERE MAGNIF.
ET AMPLISS. VIRI, PIETATE,
virtute, doctrina, sapientia, & rerum vsu præ-
stantiss. Dn. Doct.

MATTHIÆ COLERI,
IVRISCONSULTI EMINENTISS.
AC CELEBERR. PRIMARIJ LL. IN
Academia IENENSI Professoris & Collegij Iuridici in eadem
Ordinarij dignissimi &c. in vera confessione & inuocatione
Filij DEI pie defuncti A. D. X. KL. Maias Anno
salutis humanæ CIO. IO. XIIIIC.

ET
EPICEDIA IN PLACIDAM E-
*iusdem ex hac vita in caelestem patriam emigrantis
decessum*

Scripta

Ab amicis, clientibus & discipulis;
Observantia & gratæ memorie causa.



IENAE
Excudebat Tobias Steinman.

